

Q. N. 148, 36.

(X2020850)

Y b  
1080

CHRISTIANI FUNCTI  
**REMINISCERE**  
GORLICENSE,

feu

**ORATIO MEMO-  
RIALIS**

de

ingenti vehementissimoque

**INCENDIO,**

quod

**GORLICIO LUSATORUM,**

*Anno cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>c XCI. XIX. Martii Die,*

*Die verè fatali,*

*cum damno Rerum Gorlicensium maximo,  
contigit,*

in

*Anniversariam Rei factæ Memoriam,*

*Anno cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>c XCII. Die XIX. Martii,*

*post horam pomerid. III.*

*in Acroateriô Gymn. Gorl. Superiori  
solemniter habita.*

---

GORLICI LITERIS ZIPPERIANIS.

BIBLIOTHECA  
POMERANIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)



*AMPLISSIMO*  
Inclutæ Reipubl. Gorlicensis  
*ORDINI*

S. P. D.

CHRISTIANUS FUNCCIUS.



Rator ad Vos, PATRONI, *Anteambulo-*  
*nis* ornatu venio: venio precibus omni-  
bus Vos exoratum. Exorator sim, si-  
nite: ut eodem, quò usus sum non semel,  
uti liceat favore. Næ Ego, Ego eqvidem, qui ab eo  
tempore, quo huc, Gymnasii *RECTOR* futurus,  
vocatus sum, semper cavi, ne favor vester invete-  
rasceret, aut is ipse planè evanesceret, utrumque  
id hodie cautum eo, *ORATIONEM MEMO-*  
*RIALEM*, in perennem vehementissimi incendii  
Gorlicensis Memoriam scriptam ac dictam, ad  
Vos ferens. Malebam anniversario illo Die, quò  
anteAnnum tertia propè pars Urbis unà cum Tem-  
plo suo splendidissimo deflagraverat, in negotio  
esse, quàm otio. Neq; verò deterrere quemquam ali-  
um animus erat: ne scriberet, ne diceret de præ-  
teritis malis. Quoniam nimirum sciebam, labo-  
rem meum, quem Orationem Memorialem scri-  
bendo insumerem, dubium, h. e. ingratum, non  
fore: spe certa certum hunc mihi sumebam labo-  
rem.

rem. Eundem quum perfecissem, publicare ipsum,  
ut scripto, ita & dicto, placuit: ut & fidei meæ ac  
dexteritati concrediti Discipuli discerent inservire,  
quod est in Proverbio, Scenæ: sive præsens ipsa jam-  
jam esset: sive fuerit præterita: sive adhuc sit futu-  
ra. Placuit item in salivam publicã emittere Oratio-  
nem: ne ab Eloquentiæ studio ac stadio illi se ullo  
deterri laborare paterentur. Enimvero, si publica-  
tionem hanc Orationis meæ in præsentia intermi-  
sissem, inque deterrendo maluissem operam sume-  
re, ut in otio potiùs essem, quàm in negotio, deter-  
ruissem facilè: ne Mei scriberent. Nunc, quid porro  
abs Vobis, P. C. non tam mei, quàm Scholæ caus-  
sã petam, æquò animò attendite. Justam de Scho-  
læ nostræ decremento querelam ad Vos defero:  
quam dictam, quam scriptam aliquoties ad Vos  
detuli. Ita Scholam nostram, sed præter omne  
meritum, premunt decrementi causæ non pau-  
cæ: ut, nisi provida vestra cura Rei nostræ Scho-  
lasticæ faulrix adjuulrixque sit, non facilè ipsa pri-  
stina sua incrementa recipere queat. Vobis, Vo-  
bis, PATRES CURIÆ, data juvandi potestas,  
æquè ac commodum hoc datum mihi est tem-  
pus rogandi: ut juvetis vestris consiliis, ut benefi-  
ciis vestris condecoretis Scholam. Oh nolite per  
Vos PALLADIUM hoc REIPUBL. vestræ reci-

dere ad paucos! Facite: in confessu vestro splendido  
Vestrum omnium cura curæ nostræ sit fautrix: re,  
ope, operâ & consilio ut sit adiutrix! Facite & Vos-  
met ipsi: ut Autoritate vestrâ Augusta nostra  
Schola moveat iterum lacertos, ac præter osorum  
invidorumq; Zoilorum spem omnem, quasi red-  
ditâ juventute, revirescat. Nos Magistri Scholæ,  
si unquam avarè statuimus pretium laboribus no-  
stris scholicis, eum esse quæstum in animum in-  
duximus maxumum, quàm maxumè, quantum  
in Nobis & per Nos fieri potest, Scholæ inservire  
commodis. Sinite, quæso, PATRES BENIGNIS-  
SIMI, impetrare Nos, quod impetratum ad unum  
omnes discupimus, atq; Scholæ causam difficillimis  
his ac perversissimis temporibus unanimes susci-  
pite: ne iniquè iniqui nos iridentes rideant! O  
audite, audite Nos, qui opem vestram imploramus:  
ut Vos audiat, exaudiat DEUS! Servate Palladi-  
um, coelitus vobis concreditum, feræque posteri-  
tati salvum id conservate: ut, stante eodem salvo,  
salva stet Respubl. inq; hac stet Ecclesia, stet Curia,  
omnis stet Familia. Quod superest: quilibet No-  
strum interea temporis in tutelam se vestram,  
vestram in fidem committit, Vosq; Patronos ac  
Nutricios suos arctis in his rebus optumè valere  
jubet. *GORLICII Lus. Anno Æra Christ.  
1613 Idc XCII, XV. Septembr.*



## D. O. M. A.



**L**amentari publicè ac lacramari, uti infra virilem apud Romanos, multarum quondam Gentium arbitros, Orbisque & domitores diu felicissimos, erat constantiam: ita in communibus ingemiscere calamitatibus, interque gemitus adire ac consulere DEOS, decorum ex adversò, ac necessarium illis videbatur. Inde, attonitos fuisse aliquoties Patres, relatum legimus. Legimus, nunc inopinò Gallorum impetu, nunc proximo Hannibalis adventu, nunc & infestis ac infaustis Sullæ ac Marii, Pompeji ac Cæsaris, armis perterritos illos & suspensos. Ad fletum verò, si Scipionis Africani, quas ob miserrimè excisam, inque mediis flammis jamjam positam Carthaginem; si Augusti, quas ob Vari, in Germaniâ turpiter cæsas, Legiones profuderat, lacrimas exceperimus, pervenisse Romanos, memoriæ proditum nullibi legimus. Licetque & jure heic ambigere: num tempora cladibus & cædibus funestiora, an virtutum & consiliorum documenta fuerint speciosiora.

Quid si Nos, Nos hodiè, *Auditores honoratissimi, Patroni, Fautores & Amici venerandi, Juvenes amandi,* qui æqvè dum in Romano, si non ita simpliciter Romano, Romano-Germanicò tamen, adhuc vivimus Imperio, generosos ducerem⁹ Spiritus: quid si & infractos in ingenti  
A 3 illâ

illâ calamitate, quam superiori Anno inter ferocientes ignis vehementissimi flammâs maximô cum damno nostrô perpeffi sumus, ostenderemus animos: an extra Christianæ tolerantiaë ac constantiaë oleas vagaremur? Vagaremur neutiqvam. Infra siquidem veri Christianismi id conditionem esset: si ultra modum lamentaremur, siqve ultra modum lacrumaremur. Nihilo tamen minus, qvum homines simus, &, in affectibus potissimum humanis humani nihil à nobis alienum esse, sciamus (præprimis ubi ingentes calamitates nos vexant ac premunt) ingemiscendum nobis non rarô, plangendum, dolendum, pœnitendum etiam, interqve falsissimas lacrumas irato DEO humiliter occurrendum. Ah quoties ingentia nos miseros angunt ac tangunt mala! Ah quoties tot tantaqve adversæ fortunæ fulmina nos terrent: quot vix enumerari, vix numerari qveunt! Multoties nimirum tam ingentes miseriaë ac calamitates, rigidissimaë utraqve animorum exercitantes, nos habent gymnasia: ut planè alieni à lacrumis esse neqveamus. Speciatim verò nostrum nunc funestissima bella, nunc fames, nunc pestis exercere animum solent, mala sanè, qvibus vel Cœlum contristatur, Sol & Luna nigrescunt, omnia Elementa stupent: mala, qvibus terra contremiscit, maria commoventur, solitudines trepidant: mala, qvibus divina humanaqve omnia miscentur, evertuntur: mala, qvibus, unâ singulis junctis, Patrum nostrorum memoriâ, ævum omne universam per Germaniam admodum calamitosum fuit, prioriqve cumprimis malo illô, bellum puto, hodieqve calamitosum. Accedunt seorsim, præqve cœteris illis cladibus publicis, quarum bellum aliam, aliam famem, pestem aliam nominant, oppidorum, vico-

vicorum, pagorum INCENDIA: mala, si quæ unquam fuere in Orbe Christiano frequentia, præsentibus hæc ævô frequentissima, imò præsentissima. Quis ergo Christianorum ita obbrutesceret, seu, ut paulò mitiori utar verbô, obduresceret ita: ut totus in asperrimis hisce malis non fleret, lacrumis non flueret, nedum totus iisdem difflueret? Ecce enim, si recolamus nobiscum, quid ante hunc annum, Anno nempe Seculi huius, post millesimum sexcentimum Æræ Chr. annum, paululùm decurrentis, nonagesimo primo, Die juxta Stylum Gregorianum Martii XIX. ipsò Josephi Die, Die GORLICIO nostro, si qui unquam in Fastis ei fuit fatalis, maxime fatali, cum maximo Urbis ac Ædis, Ædis, quæ D. Petro olim consecrata ac Paulo, splendidissimæ, Ædis famosissimæ, damno, flagrantissimo contigerit incendiô; aut potius, quid iratissimus in furore indignationis suæ Dominus ob peccata nostra immiserit nobis: non possumus non ingemiscere, non possumus non collacrumari. Et Romana profectò, h. e. dura, imò ferrea, nostra forent pectora: si, Rebus inclutæ urbis nostræ tam misere superiori Anno, Annoque & adhuc præsentibus, stantibus, lacrumas non funderemus, singultus ac gemitus non duceremus. Atverò, Christiana nobis quum sint pectora, quum sint mollia, nemo facile vertet nobis vitio: si, ubi anniversariam flagrantissimi incendiï memoriam inter gemitus evolverimus, ea hodiè colliquescant, in suspiria & fletus solvantur. Vos, Vos, *Auditores omnium Ordinum Venerandi*, qui circumcirca, & intra & extra urbem, in Templô cum primis miserrimè exustò, iræ divinæ monumenta ac documenta oculis vestris cotidie usurpatis, adeste, quæso, animis, atque, dolorem vestrum nobiscum contestaturi, nobiscum

nobiscum & collacrumaturi, vestris dicturo favete linguis, vestris favete animis, sed & inter hæc Silentii Sacra paulisper consistite, atque intenti compressaque voce audite! Faxo Ego eque brevi, pro re natâ, Oratione meâ: ut ne quemquam Vestrum attentæ pœniteat auscultationis. Novi namque, optimum in dicendô condimentum esse brevitatem.

Arserant aliquoties, arserant per currentes aliquot annos nonnullæ in suburbio ædes, horrea nonnulla, arserant: aliquoties & in ipsâ urbe periculossimorum incendiorum initia majora, nisi pœnitentium lacrumæ, exardescens iræ divinæ flammæ extincturæ, intercederent, interminabantur damna. Præcedebant & ostenta in æere non pauca: quæ vehementius, si non totius urbis, melioris tamen in eâ partis, incendium prænunciarent. Audiebantur paulò antè insoliti canis ignoti ululatus: strepitus plaustrorum, ut & catenarum ponè tractarum sonitus, intempestâ nocte, nocte ab ingenti hoc incendiô proximâ, cæteris missis præfagiis, audiebantur. Erant venti frequentes, venti furentes, rapientes erant venti, ruinam nobis, quæ qualis ac quanta futura esset calamitas, nescientibus, minitantes. Etiam per vocem, vanam tunc licet, in Templo tamen aliquando his verbis, *IGNIS, IGNIS ADEST!* auditam, ruina Templi portendebatur: portendebatur per nocturnum, quem nonnulli se post noctis meridiem certò audivisse, testabantur, Organi pneumatici sonum ea: per aquam, sparsim in Senatoriis foris affusam, quasi scopis everrendi forent, illa portendebatur. Præmonebamur & creberrimè, quod præcipuum est, fidelissimorum DEI Præconum tubis, certissimè igneam nobis futuram, quam dudum iratus colligasset.

DEUS,



DEUS, virgam. Sed quis nostrum attendit? Quis nostrum perpendit? Quis nostrum ad mitigandum, ad placandum DEUM preces suas intendit? Territi licet essemus: omnia tamen insuper habebamus: donec longam suam DEUS moram graviori compensaret poena. Et ecce fatalis ac lamentabilis tandem aderat dies: dies, quae tunc post *DOMINICAM OCULI*, Oculus Domini quasi Vindex scelerum nostrorum proximè futurus foret, erat Lunæ, aderat, atrò carbone ipsa semper in Fastis connotanda. Nec verò dies hæc iræ tantum aderat; sed & hora, horarum omnium, quotquot unquam Gorlicio elapsæ fuerant, funestissima aderat. Tertiam pomeridianam puto: quâ tandem erumpebat: quod diu divina parturiverat Nemesis. Hora nempe tertia vix audita fuerat, egrediebanturque Discipuli nostri è Cœnobiò, paulo post Templum Petrino-Paulinum, ut Concionem Catecheticaam audirent, petituri: quum clamor derepente exoriretur in plateis, adesseque ignem, ignem in Richterianis ædibus adesse, prætereuntes nunciarent. Excurrebamus nos docentes illico in latè patens extra Cœnobium forum: & ecce oculis se nostris fumus, acsi è clibano assurgeret, objiciebat densissimus: aures nostras pulsus malleorum, horas aliàs ordinariò suo pulsu in turribus significantium, feriebant vehementissimi, frequentissimi. Fœtor ad nares usque pertingebat teterrimus. Ventus verò turbo & in inferiorem & in superiorem, maximè tamen in inferiorem Urbis regionem, in vicinas primùm, mox in remotas, in suburbanas quoque ædes, ardentes titiones, carbones candentes, scandulas accensas, inflammatas succidias, stramina, & si quæ aderant alia incensionem aptissima, dispergebat passim: accendebaturque

B

que

que statim, (ah miserrimum Urbis spectaculum!) Templum nostrum, Templum Petrino - Paulinum, Opus certè LXX. annorum sumptuosissimum. Discurrebant itaque consternati hinc inde cives, discurrebant opifices, milites discurrebant, discurrebant fœminæ, pueri puellæque vociferantes cum Parentibus suis urbe excedebant: attoniti plerique ædes suas claudebant, has deserebant, insolitæ Vulcani rabiei easdem relinquebant. Tantus, tantus terror incolarum animos occupaverat; tanta invaserat eos confusio: ut, quò se verterent, multi nescirent. Patres Urbis & ipsi ibant, stabant, sedebant consternati: præprimis ubi nonnullorum ædes apertâ conflagrarent flammâ, Pharos se eminentius spectantibus, donec mole suâ corruerent, præbentes. Nemo hinc, qui Domum DEI extingueret; nemo, qui propriis ædibus succurreret, præstò erat. Nam Spiritum confusionis miserat DEUS: terrorem Panicum immiserat Dominus: ut plerique, de reculis, de supellectilibus solliciti, desererent officium, negligerent ædificium, trepidique salutem in exportandis aut recondendis utensilibus quærerent. Aderat tamen, quum ipsius bene ac eleganter reparatæ cû viciniore illa, splendide non ita pridem extructâ Scabini domo, propè jamjam deflagrassent ædes, CONSUL REGENS, Vir de Patriâ suâ longè meritissimus, perturbatissimisque imperabat civibus: ut irent citi, ac ferrent aquas alii, alii viciniore observarent ædes, tecta dejicerent alii, flammam advolantes alii exciperent & extinguerent. Quid tunc? Accurrebant, ascendebant, sternebant, extinguebant nonnulli. Servabatur quoque melior, servabatur & major urbis superioris, inferioris quoque Urbis servabatur pars reliqua: servabatur inter vicinas

Schola

Schola flammis, à flammis ipsa accurante ipso SCHOLÆ CURATORE PRIMARIO, Consulari de Musis nostris optimè merito, immunis. O lacrumabile verò, ô lamentabile fatum! Non, non servari poterat Ædificium:

*Quod neque Pyramidum miracula prodiga mole,  
Nec Mausoleum, nec Jovis ampla Domus,  
Vincebant famâ, nec splendida Roma, nec Argos,  
Nec quicquid dederat Sors malefida Diis.*

Nam venerat suprema illa dies: quâ, posteaquam vel semel justus justô suô judicio judex splendidam hanc Urbis Coronam oculis nostris eripere decrevisset, ineluctabili ipsa conflagraret igne. Conflagravit igitur Templum laudatissimum intra sex horas totum, totum exustum, totum omnibus ornamentis suis admodum conspicuis, & extus & intus, exutum. Audire tunc dabatur senum ejulatus: dabatur vagitus infantum, ploratus mulierum, non tam propter urbem, quam propter Templum, audire. Templum deplorabant omnes: quòd, tamdiu inter totidem incendia, inter totidem Martis impetus, in ipsâ quoque durissimâ Urbis Obsidione, inter totidem pyrobolos globosque & inter ignitos, interdium æquè ac noctu in urbem utrosque injectos, servatum, miserrimè periret igne. Turbati igitur & Nos cum Nostris turbatos universos videbamus Cives. Videbamus hos quoque de novâ Templi, tantis olim extracti sumtibus, restauratione quasi desperabundos: desperabundos de ornamentorum ejusdem reparatione, non paucos cognoscebamus. Et sanè quis non indoluisset, quis non flevisset: quum tot ædes ardere simul, ardere & Templum cum illis cerneret, Trojam ardere credens,

credens, credens & ardere Saguntum, aut ipsam quo-  
que inter Scipionis lacrimas ardere credens Carthagi-  
nem? Ita nimirum flagrantissima DEI ira, furor Do-  
mini æstuosissimus, ardebat ubique: neque ardebat  
tantum, sed & flammâ absumebat voracissimâ: quic-  
quid occurrebat. Non modios ac medimnos frumen-  
torum recensebo: non polentarum recensebo acervos.  
Non plena cerevisiis coctis ac decoctis dolia, non varii  
generis suppellectilia, non comestibilia, non utensilia in-  
numera, non pretiosa à Majoribus relicta, vel donô ac-  
cepta, vel ære proprio emta, recensebo. Tantum  
Tecta cum publica, tum privata mihi sunt numeran-  
da: quæ propè sunt ducenta, centum nempe & nona-  
ginta, numerô quidem rotundô pro minus rotundô po-  
sitô. Hæc, hæc intra unius horulæ spatium in mediô  
flammarum stabant, fastigio tectorum quorumlibet,  
rubrô non successivè, sed propè simul ac semel insiden-  
te gallô, Gorlicioque & ipsô supremam cantitante ho-  
ram. Flammas hinc volitare per ærem, inque & sub-  
urbio Nicolaitano, in Hoderanâ, quam vocant, pla-  
teâ, in patibulari, ut loquuntur, Viâ, & ubi non? in-  
cendere tecta videbamus: videbamus decumanos quasi  
& intra & supra ædes ignium fluctus volvi, & à varia-  
bili ventô agitados ad Templum usque Petrino-Pauli-  
num devolvi. Audiebamus & insuper his auribus no-  
stris, inter miserrimos virorum fœminarumque clamo-  
res, nunc regularum decidentium, nunc tectorum con-  
cidentium, nunc & mœnium corruentium fragores:  
crepitus & ignium colluctantium horribiles audieba-  
mus. Quis ergô Vestrûm, *AUDITORES*, dum talia  
& alia audit, hodieque non obstupesceret? Cui comæ  
in præferti non starent? Vox cujus faucibus non hære-  
ret?

ret? Ah obstupescite mecum omnes, obstupescite viri, ob-  
stupescite juvenes, obstupescite pueri mecum, totiq; nisi  
e pumice oculi facti autè chalybe præcordia sint formata,  
& flete & fluite: dum, refricante me tanti incendii me-  
moriâ hodie, id oculis vestris videre adhuc dum vobis  
videmini! Nonne enim dies ille dies erat irarum? Mina-  
rum dies nonne ipse erat? Erat profectò dies: quò conju-  
râsse in perniciem totius Urbis elementa videbantur, ju-  
dicio Domini à Domo Domini, quam spreverant pleriq;  
contaminaverant ac profanaverant non pauci, & in-  
choante, & in eadem, quod dudum fuerat decretum,  
finiente. Sed ohe! *VENERANDI AUDITORES*, di-  
cite mihi sultis: num, dum ita inter gemitus & plan-  
ctus, inter fletus querimur, veras quoque quæramus in-  
cendiorum causas? Alii alias fingunt: imò multi nul-  
las ponunt, sed casu fieri illa contendunt. O bardos  
ac tardos! O bliteos ac blennos! O judiciorum divino-  
rum ignaros! Epicuri de grege porci ita judicant:  
judicant ita, qui, quòd ne passerculus quidem de tecto,  
ne capillus quidem de capite, absque permissione DEI  
decidat, ignorant, ex tempore ipsi securique, quò pes  
ferat, viventes. Culpent proin alii non raram in igne  
asservandò imprudentiam: negligentiam in igne ex-  
tingvendo culpent alii! Non frustra utramque  
culpant. Est enim & imprudentia & negligentia ho-  
minum non minima, nec tamen potissima, incendio-  
rum causa: quum crebrius id utrumque fiat, nec tot  
tamen tantaque exurgant incendia. Astra incusent  
alii, & ad Calendariographos provocent, horum alle-  
gantes prognostica. Sed nec hæc, si quæ ex igneorum,  
quæ in Cælo sunt, Signorum cum Planetis conjunctione  
est,

est, primaria judicanda causa: quia non ubiq; Signa  
illa ignea incendunt. Aliæ me Christe, aliæ, & gravio-  
res sanè, quærendæ sunt causæ. Nimirum scelera (au-  
ditis hæc, & non ingemiscitis, *AUDITORES?*) sunt;  
sunt scelera & peccata, uti omnium in Urbe & Orbe  
Malorum, ita Incendiorum quoque causæ. Ego verò,  
si, libertate aliquâ dicendi, quam *παρρησίαν* *ἠθρόρων*  
*πᾶσι* *ἰδεε* vocant, usus, in laudatissimâ hâc vestrâ Pa-  
negyri intrepidus dixerò, *Verbi divini contemptum ac pro-*  
*fanationem Sabbati* quamlibet inter causas præcipuas  
**INCENDIORUM** esse primam, nequaquam à recto  
veritatis tramite aberrabo: ne latum quidem unguem  
ab eò deflectam. Nam ita dudum me apud Prophetam  
edocuit Spiritus Sanctus. *Si non audiveritis me, inquit*  
*ille, ut sanctificetis diem Sabbati, & ne portetis onus, & ne*  
*inferatis per portas Hierusalem in die Sabbati, succendam,*  
*(audite, qui aures habetis, ah audite!) succendam ignem*  
*in portis, & devorabit portas Hierusalem, & non extin-*  
*gvetur.* Hæretis adhuc, *AUDITORES*, ancipites? No-  
lite ambigere; sed prius ad æquam animi bilancem ex-  
pendite: *num veritati ex asse prima hæc incendiorum,*  
*caussa respondeat?* Sequitur certè avaritiam & immiseri-  
cordiam, uti *Jus Canonicum* loqui amat, rerum penuria,  
h. e. Fames: sequitur lasciviam & luxuriam, Israëlita-  
rum, cum Midianitarum filiabus rem habentium gene-  
raliori, nec non specialiori Ephraimitarum exemplò,  
Pestis: sequitur injustitiam, Esaiæ & Amosi vaticiniò,  
Bellum! Incendia verò profanationem Sabbati, quo-  
modocunqve ipsa & quandocunqve, sive ante, sive in-  
ter, sive post Sacra fiat peracta, sequuntur: sequun-  
tur & Verbi contemptum. Annon autem de hóc pecca-  
torum genere contemptus quoque est Scholarum? Ne-  
mo

mo profectò, cui sacrò quidem lixivio perpurgatum  
caput, id inficiabitur. Qui enim Officinas has Spiritus  
S. contemnit: vel ipsum DEUM, antè conditorem,  
nunc conservatorem Scholarum, contemnit, vel ad mi-  
nimum eodem hoc contemptu, quod totidem Locis Bi-  
blicis commendat Scholas, Sanctum DEI Verbum exci-  
pit. Et sanè, ubinam Verbum DEI magis docetur,  
discitur, repetitur, quàm in bene constitutis Scholis?  
Ubinam unica hæc fidei norma ac vitæ Regula magis  
exigitur ac urgetur, quàm in Scholis? Ubi & Sabbati  
sanctificatio magis inculcatur, quàm in Scholis? Eheu  
verò, quis ferè est hodiè, si primæ is, si imæ sit ca-  
veæ, qui ad Scholam filios ablegat publicam: ut discant,  
quid DEUS, DEI quæ sit voluntas? Quis curat ampli-  
ùs ferè: ut in Schola discant sui publicâ, quid Sabba-  
tum, Sabbati quid sanctificatio? Quis ferè publicas  
amplius æstimat Scholas: ubi tamen Verbum DEI do-  
cetur, Verbum DEI discitur? Pauci, proh dolor! pau-  
ci hodie sunt: qui dignis modis honorant docentes in  
templis: pauciores, qui verè amant docentes in Scholis,  
privatos his ipsis ipsi præferentes Præceptores: quos li-  
beris suis formandis ac informandis præficient. Quid  
mirum ergò: si flamma DEI hujus quoque contemptus  
judex sit & vindex? Negligitur Domus DEI: ideoq;  
& ipsa comburitur: comburitur & domus cujusvis pro-  
pria. Contemnitur Officina Spiritûs Sancti: ideoque  
& ipsa non rarò comburitur: comburuntur & frequen-  
ter cum organis suis Mechanicorum officinæ. Abri-  
perer Ego equidem, Ego quadragenarius tribus in  
Gymnasiis morum, vitæ studiorumque juvenilium for-  
mator ac informator publicus, dudum & ipse publicis  
trium Academiæ Saxon. Testimoniis satis proba-  
tus,

tus, multisque (quod præfiscini tamen, h. e. *citra omnem  
iactantiam ac vanam gloriam*, dixerim) laudibus non  
semel, ac præter omne votum, exornatus Magister,  
à justo, qui à tanto Scholarum Scholicorumque Magi-  
strorum contemptu illicò mihi subnascitur, zelo: si fre-  
na laxare, inque non levem ac brevem, sed gravem,  
excurrere vellem *Invectivam*. *Invectivam* puto: quâ  
quibusvis Scholarum publ. contemptoribus, minus cor-  
datis Magistrorum, omni fide dignissimorum, exce-  
ptione omni majorum, osoribus, nasutis & Doctrinæ &  
Disciplinæ Schol. censoribus, hisque & ipsis, qui tra-  
ductoribus quibusvis ac convitiatoribus, Discipulis item  
quibusvis *δοκησισόφοις, κενόδοξοις* tamen, aures faciles ac-  
commodant, facile credunt, debite occurrerem. Sed  
temporis monet angustia, Vestra, in ausculando quam  
mihi A. V. probâstis, aures vellicat patientia: ut supe-  
rioris anni flammâ adhuc sentientes, in Spiritu adhuc  
eas cernentes, consulamus nobis, consulamus posteri-  
tati, DEO per bonitatem optimo, per potestatem maxi-  
mo debitas vel propterea acturi gratias: quòd, in me-  
diis veluti flammis nostri misertus, Templum hoc Spi-  
ritûs Sancti, precum hoc ac gratiarum Informatorium,  
Musarum hoc Domicilium, trium hoc Hierarchiarum  
Seminarium ac Plantarium, Urbis nostræ hoc, cœlitûs  
quasi delapsum, Palladium (*Scholam Cœnobiale* puto)  
cum satis amplo ac pulcro suo Ædificio cumque Tem-  
plo suo, majori quoque cum Urbis simul parte, pro pa-  
ternâ sua gratiâ ac clementiâ conservatum iverit. Ma-  
gnum profectò, *Viri omnium Ordinum Maximi, Viri  
Medioximi, Viri Minimi*, magnum est beneficium, per  
integrum, & quod ultra est, Seculum habuisse Scho-  
lam: ubi veri gignuntur homines: ubi aluntur, erudi-  
untur,



untur Ephebi: ubi diriguntur omnis Pietatis ac Humanitatis cultores. At majus verò beneficium est habuisse Scholam: cui semper peritissimi in Arte informandi Artifices, Artifices, quibus facilè in Arte sua credendum, præfuerunt. Maximum denique est beneficium, imò certissimum amoris divini testimonium, Scholam hanc, dignis modis quam laudavi, nobis in tam flagranti igne esse servatam. Sunt quidem ædes plures combustæ, quam Majorum nostrorum ævô: sed & plures per gratiam divinam servatæ: servatum dummodo nobis, quò Urbs superbiebat, Urbs triumphabat, Templum esset. Servatæ, in isto, per divinam gratiam sunt ædes plures: multæ & velocissimò iræ divinæ igne sunt combustæ: combustæ ædes non paucæ, ut cuique charæ, ita tamen privatæ. Scholam autem, Scholam, Templò Cardinali licet nostro haut servatò, servatam tamen Urbi esse, non leve argumentum divinæ est gratiæ, non vile augmentum divinæ est misericordiæ. Debitas igitur gratias cur immortalis non ageremus DEO? DEUM, qui propter hominem factus est homo, cur non laudaremus? Bestiæ utiq; essemus, aut deteriores bestiis: si foremus ingrati: gratiarum hecatombas si summo malorum omnium Averrunco non ferremus. Agimus quidem gratias cotidie: sed agenda quoque jam sunt publicè, agenda sunt solemniter: ut non modò ad plus dandum, sed ad diutiùs quoque servandum, ad servandam hanc seræ posteritati Scholam, invitemus DEUM. Profectò enim ingens est beneficium, beneficium beneficiis multis longè pluris æstimandum manet: quòd locus nobis servatus sit: ubi è brutis fiunt Homines, ex Hominibus fiunt Angeli. Non, non locus hic Schola est, sed Paradisus est, sed Cælum est. Et Paradisus cur non  
C  
esset

esset Schola? Schola cur non esset Cœlum? In Scholâ enim, quid fugiendum, quid faciendum, potissimum autem quid & quomodo credendum, ut Paradisi, ut Cœli incolas se fore aliquando testentur Discipuli, de Præceptoribus suis audiunt. Ne dicam, dicturus & identidem, Scholam docere solam: quicquid postmodum docet & repetit in suâ Cathedrâ Ecclesiæ Doctor: quicquid Paterfamilias domesticis exprimit exemplis: quicquid etiam Reipublicæ Rector publicis confirmat factis. Agnoscitis hæc, *Gorlicenses Cives*, & non illico in mera laudum encomia erumpitis? Erumpite, quæso, mecum, Eucharistias studiô adducti, in meras Domini laudes. Laudate Dominum universi, laudate singuli! Vos indigenæ, sed & Vos alienigenæ, in gratias debitas descendite. Descendite mecum in gratias: quas Soteri nostro agamus habeamusq; . Ecce enim misericordiæ Domini est: quòd Die illô Anni superioris ferali, fatali illô Die, quô Urbs Vulcano, ceu spolium, tradebatur, consumpti non simus penitus. Misericordiæ Domini est: quòd, unô, sed cæteris omnibus longè splendidiori, à flammâ crispitante crematô Templô, Tempora reliqua, reliqua & Ædificia, cum publica, inque his Curia cumprimis, famosissima Justitiæ ac Prudentiæ Sedes, tum privata, mediô in flammarum cursu, majorem partem conservata. Misericordiæ Domini est: quòd Schola unâ cum Templô suo à Vulcani rabie liberata, fuerit ac servata. Quòd Nobilissimi & Amplissimi Curia Patres, optimi Justitiæ & æqvitatibus Arbitri, Nutrici; nostræ Scholæ largissimi; quòd maximè Reverendi Ecclesiæ Ministri, Verbi divini Præcones fidelissimi; quòd Clarissimi Scholæ Magistri, Viri optimè de Re literariâ meriti; quòd Cives Urbis spectatissimi; quòd Patro-

Patroni & Fautores, Benefactores nec non Hospitiorum  
Menſarumq; liberaliũ largitores liberaliffimi; qvòd Cœ-  
tus & ipſe hic Scholaſticus; Amici & Inimici qvòd in hunc  
uſq; diem, ſi non ex æqvò omnes, pleriqve tamen, con-  
ſervati fuerint, Miſericordiæ unius eſt Domini. Ah Do-  
mine, Domini noſtri JESU CHRISTI Pater miſericor-  
diſſime, qvi totum tuum à nobis avertiſſe videbaris vul-  
tum, exaudi nos de Templo Tuo cœleſti: dumqve, pec-  
caſſe nos Tibi, pœnamqve hanc gravem, imò multò  
graviora & æterna ſupplicia, peccatis noſtris meruiſſe,  
fatemur, pennas gratiæ nec non alas miſericordiæ Tuæ  
ſuper *Potentiffimum ac Sereniſſimum Electorem Saxon.*  
*JOH. GEORGIUM IV.* Principem ac Dominum no-  
ſtrum ut hodiè indulgentiffimum, ita poſteris diebus  
longè clementiffimum, expande: expande & ſuper  
omnes Saxo-Electorales ditiones, in ſpecie ſuper Lu-  
ſatiam hanc noſtram Superiorem, nominatim verò ſu-  
per inclytum hoc Gorlicium, alas Tuas: Tuas in ea-  
dem Urbe ſuper Curiam Curiaqve Patres, ſuper Eccle-  
ſiam Eccleſiæqve Miniſtros, ſuper Scholam Scholæqve  
Magiſtros, ſuper Familias omnes, expande alas! Surge  
inter hos armorum ſtrepitus in auxilium nobis: impu-  
gna impugnantes nos: protege nos adverſus eos, qvi  
perſeqvuntur Nos: dic animabus noſtris: *SALUS VE-  
STRA EGO SUM!* Dum verò, ò Alme DEUS, hoc  
dicis, ſimul respice in Filium Tuum: ad Sangvinem  
ejus, hòc ipſò Anni tempore olim effuſum, respice: re-  
ſpice ad Vulnera, qvæ nos defendant, qvæ ſalvent, qvæ  
æternùm ſervent nos omnes! Benedic tandem omnibus,  
cùm ſacris, tum humanis, in inclytâ hac Urbe labori-  
bus: concatenatis noſtris benedic laboribus: benedic  
docentium & diſcentium conatibus, daqve pro ineffa-  
bili

bili Tua gratia: ut Schola hæc Augusta perpetua Pieta-  
tis ac Humanitatis sit Officina! Fac hoc, ò PATER, ò  
FILI, ò SPIRITUS SANCTE! O adoranda Trinitas, ò  
Trinitas veneranda, fac: quæ enixè hodie totius Civita-  
tis hujus commodò rogamus. Nôsti namq; , nôsti SAN-  
CTISSIMA TRIAS, simplex cunctaq; ista, quæ preca-  
mur hodie, complexum unum omnium esse Votum,  
*SALUTEM URBIS!*

*DIXI.*

**Görlitzische Denck- und Danck-Obel**  
nach vollendeter Denck- und Danck-Rede  
abgesungen.

**D** Görlitz denck daran:

Wie dich vorm Jahr der Himmel haÿte:

Als die gerechte Feuer-Flut

Die Häuser und den Tempel faÿte /

Und Sie verzehret' in voller Wut!

Hätt ESTO MIHI längst dein Herze eingenommen:

Wär dieses Unglück schnell nicht über dich seyn kommen.

Drum Görlitz denck daran!

**D** Görlitz denck daran:

Was INVOCAVIT dir besahle!

Du soltest in der Gnaden-Zeit

Zu GOTTES seinem Hochzeit-Mahle

Dich finden ein / von Schuld befreyt /

Und zu dem Höchsten GOTT aus Geistes Kräftesten beten:

So würde Er schon seyn von seinem Zorn getreten.

Drum Görlitz denck daran!

**D** Görlitz

O Görlitz denck daran:  
Was REMINISCERE dir sagte:  
Eh GOZZES Feuer - Ruthe kam/  
Und/ weil nach Ihm man niemahls fragte/  
Die Häuser und den Tempel nahm!  
Ach hättest du gedacht an deiner Sünden - Thaten:  
So wär nicht über dich dis Unglück seyn gerathen!  
Drum Görlitz denck daran!

O Görlitz denck daran:  
Was OCULI vor Trauren brachte:  
Als/ leider! unser Augen - Paar  
Das/ was den grösten Schmerzen machte/  
Zu sehen gegenwärtig war!  
Ey hättest du zuvor in Reu auf GOZZ gesehen:  
So würde nachmahls dir nicht seyn solch Leid geschehen.  
Drum Görlitz denck daran!

O Görlitz denck daran!  
Denck/ denck an diese Trauer - Stunden!  
Ist irgend auch ein solcher Schmerz/  
Wie dieser / welchen hat empfunden  
Im Brande dein betrübtet Herz?  
Fürwahr/ wer nicht den Denck - und Augen - Sonntag achtet/  
Der hat wohl schwerlich auch die andern recht betrachtet.  
Drum Görlitz denck daran!

O Görlitz denck daran!  
Ja du wirst an den Tag gedencken:  
An dem du damahls sahst die Pracht  
Des Tempels und der Stadt sich sencken  
Bey der so hellen Feuer - Nacht.



Ach Feuer / Feuer! schrie / wen man nur sahe gehen:  
Ach! löscht den Tempel / den man sieht in Flammen stehen!  
Drum Görlitz denck daran!

O Görlitz denck daran:  
Wie dich auch bey dem Unglück liebte  
Der Himmel / der da war entrüst /  
Und zwar sehr hefftig dich betrübt /  
Doch aber auch zu dieser Friest  
Bey Unglück über dir wolt in Genaden walten /  
Und mitten in der Noth den grösten Theil erhalten!  
Drum Görlitz denck daran!

O Görlitz denck daran!  
Ach bringe Danck- und Lobes-Lieder  
Dem / der die Schul und Rath-Haus hat  
Errettet / und auch bauet wieder  
Den abgebrannten Theil der Stadt:  
Daß du LÆTARE kanst in Ruh und Friede feyern /  
Und nicht durch neuen Schmerz den alten darffst verneuern!  
Drum Görlitz denck daran!

O Görlitz denck daran /  
Und nimm das JUDICA zu Herzen!  
Urtheil / ob du nicht schuldig bist  
Dem Höchsten bey den grösten Schmerzen:  
Daß Ihn dein Mund mit Dancken küßt.  
Drum dancke / dancke GOTT / und laß Ihn immer walten:  
Er richtet auf / was liegt / und hält / was Er wil halten.  
Drum Görlitz denck daran!

O Görz

O Görlitz denck daran!  
Denck an die vorgehen Trauer - Tage:  
Doch aber nicht vergieß darbey:  
Was man auch bey der grösten Plage  
Zu leisten GOTT schuldig sey!  
Denn rechtes Lob und Danck bringt von GOTT neuen Segen/  
Und hilfft uns unser Haus durch neue Krafft verpflegen.  
Drum Görlitz denck daran!

O Görlitz denck daran/  
Und fange nicht an zu vergessen:  
Was dir dein GOTT hat guth gethan!  
Er hat das Segens - Maas gemessen/  
Und es gefüllt bis oben an!  
Drum danck und lobe Ihn vor alle seine Güte/  
Mit Bitte: daß Er dich noch fernertweit behüte.  
Mein Görlitz denck daran!

M. Ehr. D. F.

INVITATIO.

PRINCIPIUM, MEDIUM, FINEM FELICITET EJUS,  
quod præ manibus est,  
QVI SINE PRINCIPIO, MEDIO, SINE FINE JEHOVA!  
Id,  
quod antithac, quamdiu fuit,  
vidit nunquam,  
vidit autem superiori Anno,  
Anno supra millesimum sexcentessimum nonagesimo Imo,  
Die, proh dolor! XIX. Martii,  
DIE, si quæ alia, VERE - FATALI,  
post pomeridianam Horam tertiam,  
maximo cum damno Rerum suarum,

GOR-

G O R L I C I U M,

in,

Gymnafii Gorlicenfis Acroaterio Majori,

inter lacrymas pariterq; & gratias inter ac preces,  
Oratione publica memorandum,

h. e.

G R A T I O N E M

de ingenti vehementiffimoq;

I N C E N D I O,

qvod Anno prædicto prædictaqve & Die ac Hora

G O R L I C I O

contigit,

meliozem Urbis partem unà cum splendidiffima,

D. Petri & Pauli Æde

celeriter abfumens,

à fe

I N M E M O R I A M R E I,

*Anno cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup>c XCII. Die XIX. Martii,*

*post Horam pomeridianam III.*

triplici adhibitô Argumentô habendam,

publicat,

Bonosqve ac Doctos omnes

ad


benevolè audiendum,

obfervanter, officiofè, humaniter

invitat

C H R I S T I A N U S F U N C C I U S,

R E C T O R.



1077



Q. K. 148,36.

REM  
GO

ORA

INGE  
IN

GORLIC  
*Anno cl*

cum damno

Anniverfa  
*Anno cl*

in Acroater

GORLIC

Y b  
1080

BIOTHECA  
SACRAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

